

paucis penetraffe , atque ibi Euangelii promulgatione incep-
ta , multos ad Christi fidem traduxisse ; mox defuncti
Xaverii vestigiis hærentes alios , ex India atque Europa
avecitos , brevi adeo christianam religionem provexisse , ut
multa christiana phana ac templa assurgerent , ingensque
incolarum numerus sacri baptismatis fonte ablueretur , in-
ter quos Dynastæ plerique ac Reges , qui Japoniis impe-
ritabant .

1585

Itaque anno M. D. LXXXII. ab ejusdem Societatis Patribus
incitati Franciscus Bongi , Prothasius Arimæ Reges , ac Bar-
tholomæus Omuræ Princeps , quorum duo priores nuper chri-
stianam religionem amplexi fuerant , postremus jam anno
M. D. LXIII. in Christi militiam nomen dederat , perhonori-
ficam legationem ad Pontificem Maximum decrevere . Franci-
scus Bongi Rex Mancium Fiongæ Regis nepotem , ob sororem
sibi matrimonio junctam affinem , vigesimum annum agen-
tem , qui caput legationis extitit , delegit . Arimæ Rex , ac Bar-
tholomæus Omuræ Princeps , Michaelem alteri consobrinum ,
alteri nepotem , decimumoctavum attingentem annum , nomina-
vare . Is comites itineris , curiositate ac res novas vifendi studio ,
illustrium Dynastarum filii duo sese adjunxere , Martinus nem-
pe e Fiongæ , Julianus Fingeno regno orti , qui nondum se-
ptimum ac decimum annum exesserant . Anni M. D. LXXXII.
initio Japone digressi , Goam , præcipuam Indiæ civitatem
Lusitanis subjectam , anno M. D. LXXXIII. appulere ; inde
Lusitanis navibus in Europam trajecere , itineris præcipuo ex
eadem Societate comite ac magistro , genere Lusitano , *Me-
schita* nomine , Japoniæ linguæ erudito : Romam mense mar-
tio hujus anni pervenere . A Gregorio ingenti lætitia atque
humanitate , ad insolens spectaculum universa confluente ci-
vitate , excepti ; eisque in aula regia Purpuratorum Senatus
est datus . Literæ suorum Principum recitantur : summa pie-
tate , atque eximio ardore christianam religionem complexos ;
obsequium atque obedientiam Gregorio , uti Christi Vicario ,
exhibere ; designatam sibi eorum nomine legationem ; ad
sanctissimos illius pedes sese provolventes , eosque exosculan-
tes , admitti supplices petere .

Cum Romæ aliquot dies fuissent , in patriam reversuri ,

H. Mauroceni T. III.

C 3

an-